

cogitare de petenda filii salute; idcirco ejus affectum et lacrymas aspexit, quæ vim orationis habent et potentem quidem. Audiamus D. Laurentium Justinianum de ligno vitæ, cap. IX. *O lacryma humilis, inquit, tua est potentia, tuum regnum. Non est, qui te ad Deum accedere vetet: si sola intres, vacua non redibis. Quid plura, vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas Filium Virginis, aperis celum, fugas diabolum.* Scimus etiam Magdalenam solis lacrymis suis salutem a Christo impetrasse, et non minus exauditam esse, quam si verbis peccata confessa fuisset. Tertio, quia viduarum peculiaris protector et consolator est, ita ut etiam non orantes audiat, desiderio illarum contentus, juxta id Ps. X. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Ita enim III. Reg. XVII. sollicitus de pascenda vidua Sarephthana (quæ extrema fame laborabat) Dominus, mittit ei Eliam non tam ut Eliam per viduam quam ut viduam per Eliam pasceret, licet ipsa tale beneficium non petierit a Deo, et forte ne cogitavit quidem. Sic etiam in hodierno evangelio vidit Christus a longe planctum viduæ, et occurrit illi sat longo itinere, a Capharna in Naim, ut lacrymas ejus abstergeret, tametsi bona illa vidua de adventu Christi nullam cogitationem haberet.

VIII. *Resedit, qui erat mortuus, et cepit loqui.* Mira Christi potentia. Imprimis: *Vocat quæ non sunt tamquam ea quæ sunt,* ut ait apostolus, ad Rom. IV. vivificat mortuos, ut ibidem explicat apostolus, et evocat in terram mortuum, qui jam non erat. Sic in prima mundi creatione vocavit cælum, terram, et quæcumque in iis sunt: *Stellæ vocatæ sunt, et dixerunt: Adsumus, et luxerunt ei cum jucunditate,* Baruch. III. quæ sane omnia prius non erant. Fuit ergo hoc tam potens Christi imperium, divinitatis ejus argumentum.

Deinde, nullo labore, solo jussu vitam mortuo reddidit. Non sic Elias et Elisæus, quorum ille expandit se, ac mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, III. Reg. XVII. hic item oravit ad Dominum, et incubuit super puerum, IV. Reg. IV. Nec mirum; illi homines, hic Deus: illi servi erant, hic Dominus. Dei est imperare morti, non hominis. Jam vero si abyssi parent voci Dei, cur homines non parent Deo: et ea quæ sunt, parere nolunt. Mortui audiunt vocem ejus, et non audiunt vivi. Qui non habent aures, non audiunt. Quoties, o adolescens perditæ, tibi acclamat Christus: *Adolescens tibi dico: Surge,* a morte animæ, peccato? Clamat per concionatores, per libros pios,

per confessarios, per inspirationes bonas, per conscientie stimulum, per exempla, per castigationes: et tu solus obsurdescis, quasi aures non haberes. Imperat Christus mari, et tranquillatur, Marc. VI. imperat febri, et recedit, Luc. IV. imperat morti, et reddit Lazarum, Joan. XI. et hic adolescentem: imperat dæmonibus, et discedunt ab hominibus, Luc. IV. tibi imperat, et obsistis.

IX. *Dedit illum matri suæ.* Magnam tribulationem magna sequitur consolatio, filium extinctum filius redivivus. Majus absque dubio fuit gaudium matris de filio redivivo quam prius erat de vivente. Poterat quidem Dominus imperare matri, ut sibi velut Servatori filium relinqueret: poterat mandare filio, ut relicta matre sibi adhereret; a quo vitam accepisset: sed noluit Dominus imminuere gaudium matris: reddidit illi filium suum, quia omni spe et solatio orbata, fuerat, cum filium perdiderat. Solet igitur Deus: *Post tempestatem tranquillum facere, et post lacrymationem et fletum exultationem infundere,* ut ait Tobias, cap. III. et Job, c. XVII. *Post tenebras, spero lucem,* inquit. Experta est S. Monica, quæ post diurnas lacrymas pro filii Augustini, conversione fusas, tandem vidit eum non solum catholicum, sed et contempta felicitate terrena servum Dei ac religiosum: experta est Jerosolyma jam christiana, quæ cum a Ramiso duce exercitus Cosrhoani, anno Domini 614. vastata et spoliata esset, recreavit eam Deus per Joannem eleemosynarium archiepiscopum Alexandrinum, qui misit ei Chrysippum, virum bonum cum multo auro et frumento, alimentis et indumentis, additis etiam jumentis, quæ deherent ea Jerosolymam; misit quoque episcopos qui redimerent abductos in captivitatem, ut in vita S. Joannis eleemosynarii.

X. *Accepit omnes timor, et magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitabit plebem suam. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo in omnem circa regionem.* Triplex hic effectus miraculi hujus describitur. Timor populi, laus Dei, rumor in regionem sparsus. Timor in populo ortus fuit ex reverentia divinæ præsentie; quia enim cognoverant, si non Christi ipsius divinitatem, saltem manum et virtutem divinam cum ipso operantem, inde præpotenti Deo submittere se ceperunt cum timore et stupore. Ortum etiam puto ex metu potentie Christi. Cogitabant enim (ni fallor) si tam facile potest Christus mortuos vivificare, multo facilius poterit, si velit, vivos enecare, omniaque sursum deorsum vertere. Magnifica illa laude profitebantur Christum esse

magnum quemdam prophetam, qui Messiam præcessurus sit, vel ipsummet Messiam, qui propheta nomine eis promissus fuit, Deut. XVIII. Rumor ille sparsus fuit, non per Galilæam modo, verum etiam per Judæam, et adjacentes regiones; quia miraculum publico loco coram plurimis peractum.

Mystice hic defunctus significat peccatorem. Etenim: *Mors animæ fit, cum eam deserit Deus: sicut corporis, cum id deserit anima,* ait D. Augustinus, l. III. de civ. I. et Cyrill. Alexandr. orat. de exitu animæ: « Mors proprie est, non quæ animam dirimit a corpore sed quæ animam a Deo separat, Deus vita est, a quo, qui disjungitur, perit.» Deus gradus sunt, quibus corpus effertur in sepulcrum. Primo, destruitur corporis temperies seu complexio, deinde, infirmatur homo, tum moritur, post effertur, postea sepelitur, denique sepulchrali lapide clauditur. Ita anima per cogitationem pravam a quiete mentis dimovetur, per delectationem infirmatur; per

consensum moritur, per consuetudinem peccandi effertur, per contemptum sepelitur, per obdurationem prægravi desperationis lapide opprimitur.

Rursum locus extinctæ animæ est corpus: quatuor portitores sunt amor peccati, timor pœnitentiæ, spes longioris vitæ, præsumptio de Dei misericordia. Sepulcrum est stulta securitas conscientie, quæ velut gravi mole opprimit hominem, ne videat, in quo discrimine sit. Porro ut ad vitam suam revocetur anima, accedere ad eam Christus per gratiam prævenientem debet et tangere ac movere eam ad pœnitentiam. Residet anima, cum per peccati detestationem erigit se ad Deum ad faciendam ejus voluntatem: incipit loqui, cum peccata confitetur: surgit omnino, cum per opera satisfactionis, et vitæ emendationis ambulat in Dei lege: datur matris suæ, cum Ecclesie restituitur, ejusque curæ et sollicitudini commendatur.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

DOCUMENTA QUEDAM EX HODIERNO EVANGELIO.

- I. Juvenes moriuntur æque ac senes. — II. Filii quandoque moriuntur ante parentes. — III. Amici plerique viventium, non morientium. — IV. Juvenes fere ad interitum, nisi frænentur, tendunt. — V. Mundus expellit et negligit defunctos. — VI. Defuncti non plangendi immoderate.

### THEMA.

*Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.*  
Luc. VII.

Historiam hodierni evangelii videtur mihi in spiritu prævidisse Salomon, quando ita scripsit, Proverbiorum VIII. versu 1. et sequenti: *Numquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam? In summis excelis quæ verticibus supra viam in mediis semitis stans juxta portas civitatis, in ipsis foribus loquitur dicens: O viri, ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum: Intelligite parvuli astutiam et insipientes animadvertite. Audite quoniam de rebus magnis locutura sum, et aperientur labia mea, ut recta prædicem, etc.* Ubi vero legimus sapientiam Dei, quæ est Filius ejus, Dominus noster, prædicasse in media semita juxta portas civitatis, in ipsis foribus, nisi in hodierno evan-

gelio? Ibi enim cum defuncto obviavit eumque a morte suscitavit, ad portam civitatis Naim prædicavit, pauca quidem verbo, multa verò facto: quæ hic inquiremus.

I. Ecce tibi juvenes moriuntur æque ac senes, quia: *Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.* Videtur hoc quod ait Lucas, etiam dixisse Christus suis discipulis et turbæ sequenti: Ecce juvenis unus defunctus effertur, si non verbo, certe facto, quia ex composito rem ita deposuit, ut huic funeri obviaret. At igitur: Ecce vobis juvenem defunctum. Sed quid hic novi nuntiat? Scimus enim juvenes etiam morti esse obnoxios: scimus certe, sed hoc quod omnes scimus, juvenes non recogitant, nec sibi contingere posse expendunt. Nullus enim ipsorum se in juventute moriturum existimat, omnes sibi longam et quasi termino carentem metam præfigunt. Porro non unam ob causam expellit sæpe Deus juvenes ex hac vita. Primo, quando videt eos pestes futuros reipublicæ. Areopagitæ damnarunt aliquando puerum, quod cornicum oculis crudeliter confixisset; inde enim colligebatur futurum eum aliquando crudelem et immanem, teste Quintiliano, l. V. c. IX. Idem sæpe Deus facit, uti legimus Psal. LVII. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes, sic in ira absorbet eos.* Iam absorbit Anastasium imp. Eutychianum, dum

Justini, Justiniani et aliorum catholicorum nobilium mortem machinantem fulmine occidit. Sic expedit alios plurimos. Si enim ficus sterilis, frustra terram occupans, jubetur protinus exterminari, Lucæ XIII. quanto magis pernicioſa? Et hoc ipsum tamen fit in bonum reproborum, ne gravius peccent et plus damnationis habeant.

Quando sunt immorigeri, ut filii Heli, Ophni et Phinees, I. Reg. IV. Qui enim promisit in decalogo filiis morigeris vitam longævam, sine dubio minatus est immorigeri brevem. Exemplo est præter illos Heli filios, rebellis ille Absalon, quem miro modo (solus utique Deus) quereui implicuit, ut periret. Unde D. Chrysost. hom. de Absalone, t. I. « Adest, inquit, arbor in campo, ramorum telis ornata, quæ te excipiat fugientem, properantem rapiat, patris injuriam in parricidam defendat. Adest inquam, arbor quæ nec patrem, ut tibi pareatur, audivit, et jussa Dei instantè implere contendit. »

Tertio, quando ex præsumptione in juventute perverse vivunt, quasi in senio prænitentiam acturi. De quibus Div. Cyrillus Alexandrinus, orat. de exitu animæ ait: « Qui dicunt: Peccemus in juventute, et in senectute ad meliorem sensum redibimus, ii a dæmonibus illuduntur ac deridentur; quoniam qui ultro peccant, eis ad sanitatem redire non datur, sed in juventute mortis falce demetuntur, ut Amon, Israelitarum rex, IV. Regum XXI. » Amon iste filius fuit Manassis regis Judæ, viginſi duorum annorum cum regnare cœpiſſet, et quia imitatus est vitia parentis adhuc juvenis, non pœnitentis senis, post duos annos regni a servis suis extinctus est. De quo scribit Glycas II. parte annal. quod talem secum cogitationem volverit: « Pater meus a puero multa scelerata fecit, in senectute pœnitentiam egit. Quamobrem et ipse hac in ætate pro animi libidine me geram, et deinceps ad Dominum me convertam. Hac igitur de causa Deus pœnitentiam illius non expectavit, quando patris calamitatibus nullo modo factus est melior. »

II. Ecce tibi filium mortuum ante matrem suam. Graviter hoc affligit parentes, si sepelire cogantur filios suos, in quibus ipsi se victuros sperabant. Ideo Ægyptii, qui tot antea plagis percussi vix aut parum indoluerant, cæde primogenito, um suorum tandem consternati, dimiserunt Hebræos, ut refert Josephus, II. antiquit. c. XIII. *Flebant veniamque petebant Ægyptii pro eo quod ita affligerunt eos.* Unde S. Basilius archiepiscopus Seleuciæ, orat. in laudem Elisæi et Sunamit. introducit viduam hod. evangelii sic loquentem miserabiliter: « En illum qui me

lacrymis prosequi debebat, ipsa prius lacrymor: quem decebat mihi sepulcrum parare, eum ipsa nunc sepeliam. Non amplius tuis amplexibus fruor, non amplius tuis suavissimis oculis recreabor. Par erat matrem priusquam filium a morte rapi; hic enim est naturæ ordo, ut filii parentes præmittant. Sed quoniam ordinem pervertisti, saltem celeriter Deus hoc mihi largiatur, ut ad eos, qui mortui sunt, me quoque adjungat, etc. »

Primus qui legitur in ss. litteris mortuus ante parentes suos (morte naturali, non violenta) est Aran, qui mortuus est ante Thare patrem suum, frater Abrahami, trecentis fere annis post diluvium, Genes. XI. unde satis colligitur, prius id nec solitum nec visum fuisse. Causam præmaturæ filii mortis videtur dedisse Thare parens sua idololatria. Sunt vero qui tradunt eum statuas et idola ex arte figulina finxisse, adeoque ansam filio præbuisse idola adorandi. Itaque quia Deum verum commutavit in idolum et vas figulinum contra omne naturæ dictamen, meruit etiam præter naturæ ordinem privari filio suo, ut moreretur ante patrem. Et quid mirum, si posterioribus sæculis creberrimo id fiat, cum videamus undique passim perverti naturæ ordinem etiam ab hominibus tam parentibus quam filiis? Circa annum salutis 458. quo litanie a Mamerto episcopo instituebantur, animalia cicuria in solitudines fugere, e contra e silvis feræ in medias urbes se inferebant. Similis quædam morum commutatio apparet nostro sæculo. Inspiciamus hæc nostra tempora. Nonne videmus juvenes, quin et viros nobiles degenerare in feminas, dum fere æque longos capillos gestant ac mulieres? Scimus apostolum ex naturæ dictamine dixisse: *Quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi*, I. Corinthiorum XI. quia hoc est signum animi mollis et effeminati (nisi fiat valetudinis aut frigoris causa) et tamen eo deventum, ut jam capilli juvenum æque in humeros usque defluant, ac mulierum: imo hæc dum eos ligant et complicant, magis virilem comam habent. Palliola quoque juvenum sunt ita breviscula, uti olim erant feminarum, femine vicissim nobiles incedunt palliis longioribus, quæ olim erant virorum. Plumæ struthionum olim ornabant galeros dumtaxat militum; nunc undique circumvolitant in capitibus feminarum. Ocreæ et calcaria nusquam visebantur olim nisi in equitibus (ad quid enim presunt pediti?) jam qui equis carent, ocreas saltem et calcaria se habere demonstrant, cum pedibus incedunt. Olim homines interdum negotia sua tractabant et convivia peragebant, noctu quiescebant, nunc plerique nobiles noctu instituunt convivia et expediunt

sua negotia, interdum vero dormiunt: quod et olim faciebat perversissimus Heliogabalus, sed gentilis imperat, orbis portentum. Vestitus vero nunc qualis? Feminæ in virilem magna ex parte commutatus cernitur contra id Deut. XXII. vers. V. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea.* Taceo collaria, caligas et calceos toties immutatos, et ad portentum compositos. Bene et vere vaticinatus est Sanctus Chrysostomus (postquam exagitasset nova insolita calceorum ornamenta) de nostris temporibus, homilia L. in Matth. « Non erant, inquit, talia veterum ornamenta et indumenta, sed viris probe convenientia. Quare ipse timeo, ne tempus veniat, in quo adolescentem apud nos vestitus atque calceamentis sine pudore aliquo mulierum utantur. » Et miramur adhuc, si videamus sæpissime mori filios ante parentes? Æstatem quandoque converti in hiemem, hiemem quasi in æstatem? Vinum et frumentum flagellari a grandine et frigore? Ecclesiam catholicam succumbere suis hostibus? Principes potentissimos deprimi a prædonibus? Plures nostrates vinci ab exteris paucioribus? Nos invertimus bonos mores, ideo Deus et natura invertit suum ordinem.

III. Ecce tibi amicos, quousque tibi assistant et obsequia sua deferant! Usque dum claudis oculos, ibi diffugiunt et te solum relinquunt. Quem enim, die sodes, comitantur cives in hac pompa funebri? Juvenem ne foras elatum? Non hoc asserit evangelista; sed ita scribit: *Et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa.* Ergo viduam comitabantur, adhuc viventem, non filium ejus defunctum: in gratiam viduæ venerunt, non amore defuncti. Ita nimirum amici hujus sæculi non nisi viventes colunt, et si multum præstant, usque ad sepulcrum eos comitantur, ulterius non curant. Ita plane accidit Francisco Cortinio, comiti de Redondo, Indiæ proregi, qui cum elatus esset mortuus ingenti comitatu et depositus ad sepulcrum, tum ecce declaratur et publicatur alius prorex, defuncti successor, Joannes Mendoza ipsi præsens funeri. Quid actum? Omnes qui Cortinium fuerant comitati ad sepulcrum, eo derelicto, ad novum se convertunt proregem, et congratulatum veniunt, comitanturque civitatem, nec remansit ad sepulcrum nisi unicum vile mancipium, quod defunctum inhumaret. Refert noster frater Sacchinus, in tom. II. annal. soc. De talibus amicis ait Ecclesiasticus, cap. VI. § X. *Est amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis*: et vers. VIII. *Est amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis.* Cum tamen hæc

fides magis debeat afflicto quam bene habenti. Plutarchus, in opuse. de discret. comparat pediculis tales amicos: « Pediculi, inquit, discedunt a morientibus, et corpora relinquunt simul atque sanguis extinctus fuerit, quo nutrir solent: assentores autem videas nec attingere prorsus res aridas ac frigiditas: nobilibus ac potentibus imminet, hisque aluntur; sed iisdem rebus commutatis statim avolant. » Tales imprimis fuere cives Jerosolymitani, qui introeuntem triumphali pompa Christum cum applausu exceperunt: eductum vero cum latronibus negaverunt et deseruerunt. Tales et cives erant Panormitani, qui concivem suam Agatham, Christi causa comprehensam et ex urbe eductam deduxere aliquantisper; verum dum in via dissolutam forte calcei corrigiam virgo alligabat, omnes retro conversi, ad sua discesserunt: itaque ad eos redarguendos impetravit, ut eo loco subito enascetur olea sterilis, sive quia olea tam hieme quam æstate retinet suum virorem, quem Panormitani in hieme adversitatis ibi perdidérant; sive quia Christianos quidem, sed steriles se ostenderant. Non erant tales amici Jonathas et David; neuter enim in adversis alterum deseruit. Jonathas pro Davide stetit contra patrem, etiam in exilium acto: David non deseruit Jonatham etiam in prælio cæsum, sed lacrymis ei parentavit ac jejuniis, virosque dilaudavit, qui eum sepelierant.

IV. Ecce tibi juvenes ad sepulcrum et perditionem properantes, et, nisi tangantur manu Dei, cursum illum suum nequaquam sistentes. Fuisset utique juvenis, hic in sepulcrum depositus ibique in putredinem conversus, nisi Christus Dominus ipsi obvians, feretrum ejus tetigisset, et stare fecisset: ita plurimi alii juvenes dum ardori juvenili liberius indulgent, quasi veredaris et concitatis equis feruntur ad infernum, secundum id Jerem. VIII. *Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.* Quid igitur Deus? Occurrit subinde illis, et tangit eos periculoso morbo, egestate, carcere et vinculis, aut alio vitæ discrimine; de quo tactu loquitur Job, c. XIX. *Miseremini mei, quia manus Domini tetigit me*: et Deus, Exod. XI. *Adhuc una plaga tangam Pharaonem.* Tacti hæc ratione gradum figunt, et in seipsos revertuntur cum prodigo illo filio, egestate tacto, et dicunt: *Surgam et ibo ad patrem meum*; cum Manasse in carcerem detruso et vinculis onerato orare incipiunt: *Peccavi super numerum arenæ maris, multiplicatae sunt iniquitates meæ, Domine, multiplicatae sunt iniquitates meæ, et non sum dignus intueri et aspicere altitudinem cæli, etc.* cum Jona, in ventre

ceti : *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, Jonas II. Hæc tribulatio frænum est, quo coeret Deus equos illos a cursu suo; quod eis precatur David, Psal. XXXI. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus; in campo et fræno maxillas eorum constringe.* Celtiberi equos suo, in campo stare solos cogunt, infixi in eorum dorsa clavo quem in extremo loro appensum gerunt, ut alibi notavi : Deus quoque libertinis illis clavum vexationis alicujus adigit in carnem vel animum ipsorum, et tum inhibent cursum suum. Talpa, Aristotele attestante, dum vivit, cæca est, morti proxima oculos aperit; formica etiam tunc primum alas induit, cum morti appropinquet, uti refert Cardanus, lib. IX. de subtilit. ita qui in prospera valetudine, velut cæci in hoc mundo oberrant, et velut talpæ terram profodientes, omnia prata percurreunt ac devastant, velut formicæ toti in congregandis opibus se fatigant, etc. tanguntur interdum adversa valetudine, et appropinquant ad portas mortis; ibi aperiunt oculos, agnoscunt mundi vanitatem et errores suos, ibi cælum cogitant et alas pœnitentiæ ad evolandum parare incipiunt, tametsi quandoque tarde nimis. Sed neque omnibus ita occurrit Christus, uti huic adolescenti, ut perversum illorum cursum inhibeat. Ideo Dominus non dixit : Dico vobis, adolescentes : Surgite; sed : *Adolescens, tibi dico : Surge. Tibi, non omnibus hoc dico aut dicturus sum : Tibi, propter lacrymas matris tuæ : tibi, propter ædificationem populi circumstantis : tibi, ex singulari privilegio, quia mihi occurristi.* Hæc occasiones non semper ad manum sunt, unde nec tales gratiæ omnibus contingunt.

V. Ecce tibi mundum, quorsum ablegat homines defunctos? Quos viventes coluit, amavit, honoravit; mortuos expellit, et foras in terram eiecit et sepelit, velut carcinomata. Hoc nimirum retribuit suis cultoribus, hanc mercedem dat; fere ad eum modum, quo ditiores usurpant poma aurea, quæ prius applicant naribus, odorantur et contemplantur, postea ad mensam expriment in cibos, et ubi eorum succum hausere, eieciunt per fenestras. Ita etiam sectatores suos mundus primo admiratur, extollit, amat, veneratur : ad extremum tamen morientes deplumat, nudat, spoliat; spoliatos domo eiecit, affertque in sepulcrum; et si multum præstat, eousque comitatur; defossos vero deserit et æterna oblivione sepelit : neque enim eos a morte præservat, aut reservare potest, multo minus resuscitare. Quis jam tali domino serviat? Quam bonum est vicissim servire Christo Domino, qui imprimis sectatores suos, etsi per mortem nudatos rebus fluxis, divites tamen educit bonis

veris et spiritualibus, quæ comitantur pios usque ad sepulcrum alteramque vitam. Deinde, morti imperat et defunctos suos resuscitat ad vitam interminabilem. Illi igitur sunt, qui struunt ædificium super arenam, quod inundationis tempore totum subruitur, sternitur, abripitur; isti vero sunt, qui ædificant supra petram, quorum domus stabit, etiamsi torrens mortis in eam incurrat, quia supra virtutes et Dei gratiam fundata est. Sed subit hic admiratio, cur cadavera quidem homines e civitatibus eieciunt et foris in terra sepeliunt : peccatores vero perversos, pessima fama notatos, adeoque cadaveribus longe putentiores non eieciunt, sed foveant. Dicent illi a cadaveribus periculum imminere civitati, ne fœtore suo auram inficiant, indeque pestem inferant. At nonne ex perversis et infamibus hominibus pestis longe gravior, adeoque pestilentior, imminet aliis civibus, qui circum illos degunt? Quam facile enim unus improbus pervertit alios plures? Miratur hoc D. Chrys. in Psal. V. scribens, qui etiam hinc concludit non tolerandos in communitate qui scandalosa, turpia et cadaverosa verba ex ore suo depromunt : « Si enim mortua, inquit, corpora extra urbem sepelimus; multo magis eos, qui verba mortua, et qui talia (cædes et rapinas) proferunt, et ne tegere aut obumbrare quidem volunt, longe amandare oportet. Hujusmodi enim ora sunt communis civitatis pernicies. »

VI. Ecce tibi defunctos non plangendos immoderate, quorum resurrectio ad gloriam speratur. Ita enim monet Dominus, dum viduæ ait : *Noli flere, et quasi rationem reddens, quare non esset defunctus ille deplorandus, accessit et tetigit loculum dicens : Adolescens, tibi dico : Surge, quia scilicet ab ipso brevi esset ad vitam revocandus.* Unde S. Ambros. in hunc locum ait : *Flere prohibetur eum cui resurrectio debebatur.* Non est tamen condemnandus susceptus pro mortuis luctus, si sit moderatus : magis tamen probandus pius succursus, quo a pœnis, si quas incurserunt, eripiantur, uti docet S. Chrys. hom. XXI. in I. ad Cor. « Niti, inquit, decet, ut juvetur (defunctus) non lacrymis, sed prece, supplicationibus, eleemosynis, oblationibus. Non est temere hoc excogitatum, nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus. » Medimus, pro istis Agnum illum jacentem et peccata mundi tolerantem deprecantes, sed ut his consolatio aliqua sit. » Exemplo hoc confirmat Thomas Cantiprat. lib. II. apud, c. LIII. « Avia mea, inquit, filium primogenitum habuit indole insigni, et decore præcipuum, quo mortuo inconsolabiliter doluit, dumque sic filium lamentaretur, apparuerunt ei

juvenes in via quadam, ut visum est ei, cum ingenti gaudio gradientes; cumque memor filii eum inter illos non esse videret, et fleret, ecce post alios filium lento gradu subsequentem agnovit. Cui mater cum gravi dolore dixit : Et quid est, fili, quod solus et non cum aliis graderis retardatus? Cui ille in toga laterali magnum aquæ pondus ostendens : Ecce, inquit, mater lacrymæ, quas pro me inaniter effudisti, quarum pondere ab aliorum prosecutione retardor. Ad Deum ergo lacrymas commutabis, et in præsentia sacrificia corporis Christi cum eleemosynis pauperum pro me corpium et devotum effundas, et tunc liberabor ab incommodo quo nunc gravor. » Ex qua historia discimus, non tam lacrymis, quam piorum operum suffragiis parentandum esse defunctis; quod etiam confirmatur exemplo S. Lidwigi, quæ, cum mortem Petronillæ, neptis suæ, acerbius flevisset, Domino displicuit, et in pœnam immoderatæ tristitiæ solita consolatione divina ad dimidium fere annum spoliata fuit; unde edocta postea cautius se gessit in morte patris, luctum et dolorem prudenter moderando, ut in ejus vita Joan. Brugmannus, l. II. c. X. apud Sur. 14. april. Audiant hoc mulieres, in quas Div. Chrys. hom. viges. oct. in I. ad Cor. invehitur : *Quæ tam stulte, inquit, afficiuntur, ut infideles luctus magnitudine superent.* Rectius lugendum suadet idem s. pater, quando propinqui cadunt in peccatum, et in eo moriuntur : « Luge, plora peccatorem, inquit hom. XXI. in Acta apostolorum, et ego deducam lacrymas, et ego magis quam tu : quanto et majore supplicio obnoxius ille, et ego plorabo tali animo. Non te autem solum oportet plorare, sed et civitatem totam et omnes occurrentes, tamquam eos qui ducuntur ad mortem. Vere enim mors illa mala est, mors peccatorum, etc. » Certe Heli summus sacerdos non ad nuntium de filiorum cæde, sed de arcæ captivitate exanimatus est, corruit et expiravit, I. Reg. IV. majus damnum reputans arcæ amissionem, quam mortem filiorum; simul etiam docens magis deplorandam esse jacturam boni spiritualis, quam corporalis, adeoque etiam animæ unius in captivitatem dæmonis abductæ, quam integri exercitus deleti. Hinc illud Sapientis, Eccles. c. XXII. v. XIII. *Luctus mortui septem dies, fatui autem et impii omnes dies vitæ illorum, quasi dicat : Corporis funeri sufficit modicus luctus; funeri animæ, in peccatis mortuæ non sufficit tota vita.* Ita S. Aug. ser. XIII. de sanctis (ad fin. tom. X.) *Non in te sunt viscera miserationis, ut plangas corpus, a quo discessit anima; et non plangas animam, a qua recessit Deus? Ad*

illam mortem igitur spectat quod ait Christus in hod. evang. ad viduam : *Noli flere, ad hanc vero quod dixit ad mulieres eductus ad Calvariæ montem : Flete super vos ipsas et super filios vestros, quia venient dies, etc.*

## CONCIO II.

VERE PœNITENTIÆ INDICIA.

I. Si a peccatorum lecto surgat. — II. Si incipiat loqui et se accusare. — III. Si ambulet ad Christum.

## THEMA.

*Resedit qui erat mortuus, et cepit loqui, et dedit illum matri suæ. Luc. VII.*

Defunctus hic adolescens secundum glossam ord. ven. Bedæ : *Significat hominem lethali criminum funere soporatum (ait Beda), eandemque insuper animæ mortem non cordis adhuc cubili tegentem, sed ad multorum notitiam per locutionis operisve indicium, quasi per suæ civitatis ostia, propalantem.* Notum ergo et publicum peccatorem indicat, verum sicut mortuus, ut credatur vere ad vitam resuscitans, signa vitæ ostendere debet; ita et peccator publicus per certa pœnitentiæ indicia, fidem aliis faciat, de vera et sincera sua pœnitentia. Conatus fuit Simon ille magus adolescentem, Neronis propinquum, magicis carminibus a morte ad vitam suscitare; et jam videbatur agitare caput adolescens : verum S. Petrus, qui tunc præsens erat, vitæ indicia exposcit : *Si resuscitatus est, inquit, surgat, ambulet, fabuletur.* Quorum nihil exhibere poterat defunctus, apud Hegesippum, lib. III. excid. Jerosol. cap. II. At vero hodiernus adolescens a Christo suscitatus omnia hæc signa adamussim demonstrat. Erexit se et resedit, locutus est, ambulavit ad Christum suscitatore suum, deinde ad matrem suam. Quare et ego, auditores, tum denique certus ero et persuasum mihi habeo, peccatorem a morte animæ, seu peccatis, ad vitam gratiæ resurrexisse, si per similia indicia se vivere ostendat, si mentem in Deum erigat, si verbis Deum loquatur, si opere et conversatione ambulet ad Deum. Hæc igitur nunc investigemus.

I. Si erigat se e lecto peccatorum et resideat, mentemque sursum erigens. Primo, agnoscat miserum et periculosum statum, in quo prius jacuit alto sopitus somno, agnoscat iniquitatem suam, quod uti omnino necessarium, ita indicium est animi pœnitentis. Joseph patriarcha